



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

bonorum habendum, prout *vide infra l. 4. c. 1. tract. de statu relig.* Simplex autem tale votum, v. g. castitatis, (excipio, quod in Societ. Jesu emittitur post Novitiatum) aut ingrediendæ religionis, et reddat contractum, v. g. matrimonii illicitum, non tamen invalidum *vide infra l. 6. de matrimonio. III. In Reale & Personale.* Illud est, cum pecunia, vel alia res externa pretio æstimabilis promittitur, ut calix, elemosyna: hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione, ut votum jejunii, peregrinationis, abstinentiæ à lusu. His aliqui adjungunt Mixtum ex utroque, ut si voveat peregrinationem cum oblatione alicujus rei. *v. Less. lib. 2. c. 40.*

DUBIUM II.

Qua requiratur voti deliberatio, & intentio?

Resp. Cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio, & libertas perfecta, qua quis liberè & directè in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. *Ita Doctores communiter. Less. Bon. d. 4. q. 2. p. 1. Unde resolves.*

I. *Ætas & usus rationis ad vovendum ea sufficit, quæ satis est ad peccatum mortale, perfectio actus humano, & directo in se volitum.* Excipe tamen votum solemne religionis, quod invalidum est ante certam ætatem.

II. *Non obligat votum factum cum semiplena animadversione, vel deliberatione, v. g. ex repentino animi motu, vel consuetudine, lingua mentè præveniente, vel ex calore iracundiæ rationis usum auferente.* *Az. Sanch. Trull. l. 2. c. 2. d. 1. Ubi notat,*

non esse sufficiens iudicium, quòd defuerit perfecta ratio, vel deliberatio, si voventem facto voto mox poeniteat: item motum iræ, raro & vix unquam impedire usum rationis.

III. Quod si is, qui scit se vovisse, dubitet, an cū sufficienti deliberatione, & usu rationis, ob defectum ætatis, si quidem vovit ante septennium, votum non obligat, nisi constet de sufficienti rationis usu: quia cum jus in tali non præsumit, & possessio stat pro libertate. Si verò post septenniū vovit, obligat: quia possessio est pro voto, cum præsumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Si denique dubitet, utrum ante, an post septenniū voverit, teneri voto vult, *Sancti & Palau*, negat *Dian. &c.*

IV. Vota facta in ebrietate, etiam ante prævisa, & sic volita in causa, non sunt valida, cum non sint volita in seipsis & directè; bonum autem non cõfurgat, nisi ex integra causa: quamvis ad peccatum factis sit voluntarium indirectè, & in causa, *Laym.*
l. 4 t. 4. c. 1. n. 4.

V. Vota facta in metu, non incusso ad hoc ipsū, ut votum extorqueretur, valida sunt, quia sunt simpliciter voluntaria, & deliberata: facta autem in metu injustè incusso ad ipsum votum extorquendum, invalida sunt, *ex communi*, nō quia sint voluntaria, sed quia vel jus ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactioni: Idque sive metus sit gravis, sive levis, dummodo quis formaliter ex solo tali metu voveat, *Suar. de Voto l. 1. c. 8.*
Sancti Fill. t. 26. c. 1.

VI. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit

circa substantiam materię promissę; vel circa conditionem substantialem, vel circa finem, sive rationem formalem ac motivum votendi, votum nullum est, ut v. g. 1. Circa substantiam, si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putaret argenteum, cum sit aureus, vel se ingressurum certum monasterium, putans esse Ordinis S. Benedicti cum sit Carthusianorum. 2. Circa conditionem substantialem, si quis v. g. voveret se ingressurum monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam, & essentialia religionis servari accurate, & tamen non ita esset, vel si voveret peregrinationem ad limina Apostolorum, putans tantum distare centum miliaribus, cum tamen distarent trecentis. Circa causam finalem, si quis v. g. voveret aliquid in gratiarum actionem, pro sanitate parenti reddita, & is re ipsa non fuisset ægrotus, vel esset mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum est, quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum, & nihil est tam contrarium consensui, quam error *Fill. t. 16. c. 1.*

VII. Vota, quæ eduntur post Novitiatū, in quocunque approbato Ordine, instar matrimonii carnalis non sunt irrita ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.

VIII. Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum, ut si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulo longius, quam putabatur: quia parum reputatur pro nihilo. Item, si error sit tantū circa causam impulsivam, valet votum, quia illa est tantum causa secundaria, qua seposita actus est sufficienter

ter voluntarius secundum substantiam. Neq; talis error in cæteris contractibus actum vitiat: v.g. vovit aliquis peregrinationem Romam, studio colendi Deum, & simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem. quæ putavit esse Romæ, quem etsi intelligat deinde istuc non esse, non ideo desinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit, quod dici solet, vota non obligare ultra intentionem voventis. *Sanch. l. 4. c. 2. Less. l. 2. c. 40. d. 2.*

IX. Ad votum non sufficit nudum propositum, licet firmisissimum: quia qui tantum proposuit, non tenetur sub peccato præstare, qui autem promisit, obligatur sub peccato, & nisi præstet, agit contra fidem Deo datam. *Bon. p. 1. Laym. l. c.*

X. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita; ut patet in susceptione ordinum sacrorū: ubi licet non dicatur voveo, vel promitto castitatem: votum tamē hoc fit implicite, hoc ipso, quòd sciens Ecclesiam annexuisse iis ordinibus istud votum eos suscipis. An verò, si quis planè id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est. Aliqui ajunt, aliqui probabilius negant dicuntq; talem teneri ad castitatem, non ex voto, sed ex Ecclesiæ præcepto. *Sanch. de matr. l. 2. d. 27. n. 11. Bon. q. 2. p. 1. & communiter.*

XI. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, sed tamen se non obligandi, nullum esset votum, secundum *Navar. Sylv. Sanch. n. 27. Less. l. 2. c. 40. dub. 1. n. 6. Bon. & alios*, contra *Cajet.* quia talis non vult vovere, cum apponat conditionem contra substantiam actus. Unde *Lugo. d. 23. de just.*

sec. 1. Galii, contendunt talem non posse dici promittere. Verum videtur esse quaestio de nomine. Si vero haberet animum vovendi & se obligandi, non tamen implendi, tunc etiam graviter peccaret, & votum esset validum. *Sanch. Fill. Bonac. p. 1. num. 14. Lay. &c.*

DUBIUM III.

Qua requiratur materia voti?

Resp. Ea debet esse possibilis; (cum impossibile nec efficaciter possit intendi, nec ad illud sit obligatio) & non solum bona, sed etiam melior, quam oppositum, sive ejus ommissio: quippe finis intrinsecus voti est, honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum, gratum autem esse non possit, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius. *Sanch. l. 9. c. 7. Laym. Navar. &c.* Unde resolves.

I. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter, cum id moraliter & ordinariè sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri in isto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo *Scholastici. Navar. c. 12. n. 65. Suar. l. 2. c. 3. Sanch. de mat. l. 9. d. 35.*

II. Invalidum est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, nisi ex circumstantiis, ut sine fiat bona: quia Deo displicet stulta promissio, & hinc eam non acceptat: ac peccat venialiter talia vovens: ut v. g. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equum ascendere. *Nav. c. 12. Sanch. 4. mor. c. 7.*

III. Invalidum est vovere mala: & qui vovet mortale, peccat mortaliter; qui autem veniale, cum

ve-